

tulit cum Schwenckfeldio elapso mense in arce nobilis Ludovici a Freyberg. Ad Cattorum ducem libellus mittitur. Non dubito autem de prudentia et fide pientissimi huius principis, abhorrentis a Schwenckfeldiano fermento; verum metuo, ne, quem princeps secretarium habet a nostris dimissum et in aula nunc Catti agentem, is inturbet aliquid. Accepi in isto τῷ καρῶ<sup>f)</sup> a nostro Bucero literas, cui orbitas et solitudo non modicum cruciatum adfert. Vult et ille cum Melanchthone iuvare, ut decretum Schmalkaldę contra Schwenckfeldium et Francum unanimi fratrum consensu scriptum tandem edatur; coniunctis siquidem copiis contra istos spermologos serio est pugnandum. Pestis — deo sit gratia — remittit. Edidit Bucerus Germanice omnia, quę sunt Ratisponę acta. De comitorum Spirensium auspicio<sup>g)</sup> nihil certi. Fama fert, Ferdinandum regem cras vel perendie Spiram venturum et illum electorem Brandenburgensem, cui Bucerus dedicavit istam actorum Ratisponensium rhapsodiam, immo<sup>e)</sup> iustam collecturam (verbo sit venia). Pręter<sup>a)</sup> istos ex principibus aut episcopis nemo personaliter comparebit; omnia per legatos agentur, nisi ἀπὸ μηχανῆς deus aliquis bonus adpareat. Turca enim non dormit, et Germani, si non prorsus e suo corpore dimoti, sunt saltem luxati. Opus ergo forti et pia prudentique καταρτίσει. Oremus dominum pro patrię et ecclesię Christi incolumitate. Cęsarem certo aiunt in Hispaniis esse et post tantam cladem acceptam instaurare bellum. Dominus ad nominis sui gloriam et ecclesię Germanięque pacem conatus huius Elohim provehat. D. Bullingero hisce diebus amanter ad me scribenti et doctum munus, illius amicissimi Rudolphi Tigurini de Goliath et Davidis monomachia feturam<sup>b)</sup>, mittenti rescripsissem, si non temporis spatio brevi exclusus fuisset. Oro, si T. C. ad eum scripserit, meam et salutem et observantiam gratam ei adscribat. Nostri legati fere post triduum hinc Spiram abibunt. Quod secretum esse debet: ille amicissimus meus D. Ulricus Chelius, Argentinensis medicus, cum Galli legato equitavit ad Bavaricos regulos. Quid rei, immo<sup>e)</sup> monstri, agatur et alatur, incertum. Hoc spargit velox malum illud: Gallum pro more suo clanculario conscribere militem. Turbas forte dabit iterum Mediolanum. Portus quidam a Gallo Venetorum opera Ferdinando occupatus; hinc facile Turca in Forum Iulii traiciet. Ita fere ubique et omnia sunt fermentata. Dominus conservet pusillum illum gregem, cui complacitum est dare regnum omnia huius

mundi regna excellens. Bene valeat T. C., cui cupio de rudi isto scripto excusatus et commendatus esse. Salveant symmystę Sangallenses et Andreas Episcopicellensis et Constantienses cum omnibus sanctis Helvetiis. Raptim. Ulmę, 27. Ianuarii 1542.

T. C. *Martinus Frechtus.*

a) „e“ für „ę“. — b) „c“ für „t“. — c) „fœl-“. — d) „exil-“. — e) „imo“. — f) „καίρω“. — g) „t“ für „c“. — h) „fet-“.

Clarissimo D. doctori et prudentissimo S. Gallensi consuli D. Ioa-  
chimo Vadiano, D. et amico observando.

1) Vgl. V, Brief 971.

1219.

Vadian<sup>1)</sup> an Theodor Bibliander.

St. Gallen. 1542. Januar 30.

Empfehlung des Schwenckfeldianers (Jakob) Held aus Strassburg, der Vadian ein grosses Buch gebracht hat.

S. Adit te, doctissime vir, Heldus Argentoratensis, homo singulari humanitate præditus, nec adit sine munere et mandato Gasparis Schwenckfeldii, cuius labores et vigiliis immensas ut examines, exactissimo iudicio tuo adhibito, et mox de illo ipso hunc certiore facias, precabitur. Mihi certe grandem et parem fortasse librum attulit<sup>2)</sup>, quem plecturum me et relecturum singulari diligentia ac deinceps, quid probem improbemve, rescripturum bona fide recepi. Precor autem, ut quod poteris officii benevolentięque in Heldum, iam cum morum facilitate, tum etiam amore promovendę pietatis mihi apprime commendatum, iuvante te Bullingero nostro et reliquo collegio, conferas et homini committandi cupidissimo large te impertias. Ad causam quod attinet, ni fallor, præstabit, hanc operam Gaspari ut navemus, ne vel sua intentione reiecta vel legitime non cognita explosum se aut indignis modis reiectum queri possit, quando hanc sollicitudinem ipsa etiam charitas, quę merito nobis esse sacrosancta debet, ut obeamus, præscribit. Vale et me, ut soles, ama, tui certe amantissimum. S. Galli, III. Kalendas<sup>a)</sup> Febru(ari)as, anno MDXLII.

*Ioachimus Vadianus* tuus.

Doctissimo viro domino Theodoro Bibliandro, sacrarum literarum in academia Tigurina professori, domino et amico inprimis colendo.

a) „Cal-“.

1) Vgl. I, Register unter «Vadianus». — 2) Ein handschriftlicher Quartband von 707 beschriebenen Seiten, betitelt «Von der Herlichkeit Christi etc. Auf das Ausschreiben der Gelehrten zu Schmalckhald unnd auf die Antilogia D. Vadiani an den hochberuembten M. Philippum Melanchton gestellt Caspar Schwenckhfeld.» Stadtbibl. St. Gallen, MS. 374.

Ved. 51g Ms 108.9.